



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXLVI. Ioannis Papae VIII. Ad Odonem Episcopvm Bellovacensem.  
Decernit impuberes, qui alium occiderant, post peractam poenitentiam  
ordinari posse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

Paganos atque infideles strenue dimicantes, eo quod Dominus per prophetam dignatus est dicere: *Peccator quacumque hora conuersus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius*: & venerabilis ille latro in vna confessionis voce de cruce meruit paradifum. Manaffes quoque impurifimus quondam rex captus, carcerique arctiffimo religatus, ibi pœnitentiam agens, cum perfectione indulgentiæ, etiam regni pristini, propter Domini misericordiam, quia immensa est circa genus humanum, adeptus est solium: nostra præfatos mediocritate, intercessione beati Petri apostoli, cuius potestas ligandi atque soluendi est in cælo & in terra, quantum fas est, absoluiumus, precibusque illos Domino commendamus. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data vt supra.

## EPISTOLA CXLV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVIFREDVM EPISCOPVM VENCIENSEM.

Episcopum, qui cum excommunicatis communicarat, Missarum celebratione prohibet.

*Vvifredo venerabili episcopo sanctæ Venciensis ecclesiæ.*

**A** VCTORITATE Domini nostri Iesu Christi, & sancti Petri apostolorum principis, nostrique apostolatus, quia cum excommunicatis communicasti, vt literæ tuæ manifestant, omni te Missarum celebratione priuamus, donec in nostram cum eisdem hominibus occurras præsentiam: & si, quod non optamus, amplius præsumptor extiteris, denuntiamus te omni sacerdotio fore nudatum. Data vt supra.

## EPISTOLA CXLVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ODONEM EPISCOPVM BELLOVACENSEM.

Decernit impuberes, qui alium occiderant, post peractam pœnitentiam ordinari posse.

*Hodoni venerabili episcopo Beluacensi.*

**R** ELATV didicimus quorundam monachorum sancti Dionysii cœnobii, quod quibusdam pueris impuberi

*Concil. Tom. 24.*

X ij

adhuc aetate inter se rixantibus, hominum illorum instigatione vnus ex illis est interemptus. Quapropter mandamus, vt si inculpabiles post peractam pœnitentiam legitimi vigoris secundum Canones reperti fuerint, gradatim ad ecclesiasticos ordines eos prouehere non differas, feruatis in omnibus patrum regulis, & Canonum institutis. Data vt supra.

## EPISTOLA CXLVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD AIMARVM ET VVIDONEM EPISCOPOS.

Vt Rostagni vxorem ad se venire iubeant, illiusque adiutores, nisi resipuerint, communionem priuent.

*Aimaro & Vuidoni reuerendissimis episcopis.*

**H**ORTAMVR sanctitatis vestræ fraternitatem, sacerdotalemque zelum vestri vigoris apostolica auctoritate incitamus; Bertildi, Rostagni illustris viri coniugi, quæ spreto Dei timore, ac lege tori, fugabunda per vestras parochias incedens, multoties ab episcopis & Synodo vocata, surda aure venire distulit, omnem necessitatem imponite veniendi coram nostra præsentia, vt eius causa legaliter finem accipiat. Illiusque in tam peruerso opere adiutoribus aditum atque communionem totius sanctæ ecclesiæ tamdiu intercludite, donec ab omni se sequestrent prædictæ Bertildis consortio. Inter quos Achetium mœchum cura spiritali priuate, vestroque zelo percutite. Quæso, moneo, hortor, fratres carissimi, citissime amplectendam exhibete præsentiam. iterum iterumque iubemus, omni postposita occasione ad nos festinanter venite: quatenus Christo Domino miserante, in hoc & aliis negotiis, communi consilio terminum salubriter imponere valeamus. Data vt supra.